



~~AM. 13.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-51. ———
SIGNAT. MDCCCXIII.



J. S. J.
EXERCITATIO THEOLOGICA

De
REMISSIONE
PECCATORUM VEL GRA-
TUITA NOSTRI CORAM DEO
JUSTIFICATIONE,

Quam
Auspiciis Divinis

In Florentissima ad Albim Leucorea

TUTELA ET PRÆSIDIO

VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS Deutschmann/

S.S. THEOL. D. ejusdemq; Facultatis Prof. Publ. Fami-
geratissimi, Venerandi item Collegii Theologici h.t.

DECANI spectatissimi, nec non Alumn. Electoralium Ephori
gravissimi,

Dn. Patroni, Promotoris ac Præceptoris sui perpetuis
observantiæ cultibus devenerandi.

Publico Eruditorum Examine subicit

RESPONDENS

JOHANNES SCHALLACKIUS,

Iglo & Hungarus.

Ad D. 25. April. A. d. 1668.

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr. Anno 1668.



Venerando Ministerio
Theologis Celeberrimis
*Plurimum Reverendis, Amplissimis, Clarissimis
ac Doctissimis*

VIRIS

Ecclesiæ Igloviensium ut Pastori Primario, ita ejus
Symmystis vigilantissimis, meritissimis, dignissimis &c.
nec non

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Virtute
Prudentiaq; Spectatissimis* VIRIS

DN. JUDICI

Cæterisq; Ordinis SENATORII

In Inclyta Republ. Patriâ Igloviensi

ASSESSORIBUS

gravissimis &c.

Dn. Patribus, Parenti, Patronis, Ever-
geris & Meccœnatibus suis æternum suspiciendis,
colendis, amandis,

*Hoc æonua Theologicum, quum aliud dare non
valeat, nisi se, suaq; cum voto ardenti
consummata & ætatem duratura Felicitatis
submisso & reverenti pectore, grato affe-
ctui immorituro dat, dicat, dedicat, consecrat*

Johannes Schallackius,
SS. Theol. Stud.

ARTICULUS IV. SPECIALIS
DE
REMISSIONE PECCATO-
RUM, vel GRATUITA NOSTRICORAM
DEO JUSTIFICATIONE.

I.

Vidimus hucusque certos quosdam Articulos, juxta ductum *Apostolici Symboli, Sanctificationis Causam Efficientem & Materialem* concernentes, cum autem homines non alia ratione, quam per *Remissionem peccatorum*, aut *veram coram Deo justificationem*, *Ecclesia* cives fiant, aut etiam fieri queant, ideo nunc de *formali ratione Sanctificationis* proponitur *Remissio peccatorum*, vel doctrina de *vera justificatione*. Et certè cum magnum etiam fidei mysterium sit *Remissio peccatorum*, ideo non sine causa dicit anima fidelis in *Symbolo: Credo remissionem peccatorum: &* ut observat *Bruno Herbipol. Episcop. t. II. Biblioth. Patr. p. 270.* satis emphatica sunt verba *Symboli: Non credo IN REMISSIONEM PECCATORUM, sed ESSE REMISSIONEM PECCATORUM* credo, quia propter hoc dignatus est *Dei Filius carnem adsumere*, ut nos (qui propter peccata nostra salvi esse non poteramus) *ejus misericordia salvaremur.*

2. Notamus autem in *Verbis Symboli* (1) circa *onomatologiam*, quod terminus *Remissionis peccatorum* hoc loco non sumatur (1) de *condonatione fraterna*, qua Christiani sibi mutua delicta fraterne remittunt, quod fatentur in *oratione Dominica Matt. VI. 12. Luc. XI. 4.* (2) neque *specialiter de remissione Ecclesiastica*, quæ juxta consuetudinem Ecclesiasticam ceremonialiter in Ecclesiam est recepta, ut in *absolutione pœnitentes solenniter peccatorum remissionem accipiant: (3) sed generaliter de tota remissione peccatorum*, & omni respectu ejus, quocumque modo se habeat in Ecclesia, sive *gratiam Dei*, ceu *remissionis fundamentum*, sive *Christi satisfactionem*, tanquam *meritum*, sive *Spiritum Sanctum*, tanquam *appli-*

A

appli-

applicationis principium, sive Dei verbum & Sacramenta, tanquam applicationis media, sive fidem, ceu receptionis organum, sive publicam, aut privatam remissionis œconomiam respiciat.

3. Hinc porro notandum, quod *peccatorum remissio* hoc loco non accipiatur (1) *εἰς ἑἰς ἑἰς*, sensu privativo, vel immediato, quatenus *imputationi justitiæ Christi* contradistinguitur, & cum eadem ad integrum *justificationis actum* conjungitur. (2) neque *ἑἰς ἑἰς*, sensu positivo, vel mediato, quatenus *συνεδοχικῶς* pro tota *justificatione peccatorum remissio* sæpius in sacris literis accipitur, cum posita *peccatorum remissione* ponatur *tota justificatio*. (3) sed *γενικῶς*, sensu collectivo, vel ampliato, quatenus h.l. per *remissionem peccatorum* complexè totum opus *reparationis nostræ*, quod fit per *conversionem, justificationem, regenerationem, sanctificationem, vel renovationem* &c: generaliter indicatur, à potissimo tamen actu, videl. *justificationis & Remissionis peccatorum* denominatur. Nos autem tantum de *Remissione peccatorum, vel nostri coram Deo justificatione* quædam adducemus.

4. Hoc saltem hic quoad *onomatologiam* adjicere placet, quod *remissio peccatorum*, juxta scripturam, sit *justitiæ Christi imputatio*, & vice versa, adeoque nunquam exclusivè hæ, similesque phrasæ sint intelligendæ, quasi nominata hac altera excludatur. Clare satis id *Paulus* ostendit, quando *Davidem*, qui *beatitudinem* collocat in *remissione peccatorum* *Psal. XXXII. 1.* docet illum prædicare *beatum*, cui *Deus imputat justitiam absq; operibus* *Rom. IV. 5.* Nec aliud indicat ipsa *natura nostræ justificationis*, quæ significat *absolutionem hominis peccatoris*, adeoque non potest *remissionem peccatorum* non inferre: quia verò *Deus* propter infinitam *justitiam* hominem peccatorem, qua talis est, absolvere non posset, nec vellet, ideo vel propria *justitiæ* opus habet, quæ prorsus nulla peccatoribus hominibus reliqua, vel aliena sibi tributa, vel imputata, quæ *Christi Salvatoris* dicitur, coram *Deo* gratiam invenire potest. Hinc in *Compend. Hutt. Analytico-Exeget. loc. XII. de justific. q. 3. p. 1073.* notavimus inter alia, quod *remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi* differant (1) *notione*, quia altera *privati-*
va, al-

va, altera positiva. (2) *oppositione*, quia prior *negativis & privan-*
tibus, posterior *verbis affirmantibus* potissimum exprimitur. (3) *re-*
latione, quia *remissio peccatorum* ab hominibus refertur *ad Deum*,
 sed *imputatio justitiæ Christi* refertur *à Christo ad hominem*. (4) *or-*
dine, quia *præcedit ordine*, quoad concipiendi modum nostrum,
peccati remissio, sequitur *justitiæ imputatio*, quia ubi peccatum, ibi
 locum non habet justitia, & ubi justitia, ibi nullus peccati reatus
 permanet. (5) *terminis*, quia ratione *termini à quo* justificatio no-
 stra dicitur *Remissio peccatorum*, ratione *termini ad quem* vocatur
imputatio justitiæ: illius loca sunt *Psal. XXXII. 1. Act. X. 43. Rom. IV.*
6. Eph. I. 7. Coloss. I. 14. hujus *Rom. IV. 5. Remissioni peccatorum* in S.
 L. æquipollent aliæ phrasæ, ut *rectio & prateritio Psal. XXXII. 2. de-*
letio, ablutio, abjectio & projectio peccati post tergum Esa. XXXIIX.
17. & in profundum maris Mich. VII. 19. &c.

5. (2) Circa *περὶ γυμνασίου* saltem *remissionis peccatorum*
causas indicabimus, si prius unum vel alterum, quoad *Existentiã*,
 notaverimus, *Quatuor* autem potissimum *ζητήματα* circa *Remis-*
sionis peccatorum Existentiã adducemus (1) *An detur Remissio pec-*
catorum? Affirmativam sententiam approbat *Symbolum Apostoli-*
cum tum *ex distincta recitatione*, quia tanquam distinctum caput
 confessionis allegatur: sicut autem reliqua capita sibi debitam e-
 xistentiam habere dicuntur, sic idem etiam de remissione pecca-
 torum est dicendum: tum *ex fidei relatione*, quia credimus remis-
 sionem peccatorum: hæc autem fides vere divina: jam quicquid
 divina fide credimus, illud ut certam habeat existentiam neces-
 sum est: tum *ex Spiritus Sancti præmissione*, quia Spiritus Sanctus,
 tanquam autor remissionis peccatorum, præmittitur, & remissio
 peccatorum, tanquam opus, vel *donum Spiritus Sancti*, producitur:
 opera verò, vel dona Spiritus Sancti suam infallibilem habent e-
 xistentiam: tum *ex Ecclesiæ consideratione*, quia membra Ecclesiæ
 per remissionem peccatorum constituuntur, nim. ut homines ex
 semine corrupto prognati fiant Ecclesiæ cives, per eandem quoq;
 constanter in Ecclesia conservantur, ut cives Ecclesiæ maneant,
 per illam denique in Ecclesia consummantur, ut videl. è militan-

te in Ecclesiam triumphantem transeant: tum ex gloriosa resurrectione, nam qui peccatorum remissionem in hac vita non consequitur, & sic per Christi sanguinem ad futuram gloriam præparatur, is certe non ad gloriam, sed potius ad ignominiam cum reatu peccatorum resurgere necessum habebit: tum ex aeterna vite conditione, quia nemo peccatis pollutus vitam aeternam ingredi potest, siquidem caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit I. Cor. XV. 50. Hic tamen advertendum, quod non absolute suam habeat essentiam remissio peccatorum, sed potius in præsuppositione gratiæ, respectu miseriæ nostræ, & meriti Christi, respectu culpæ, vel peccati nostri, siquidem propter infinitam Dei justitiam nulli peccatorum remissio culpæ contingere potest, nisi *λύτρον* infinitum interveniat, quod à merito Christi nobis miseris peccatoribus contingit.

6. (2) Ubi detur remissio peccatorum? Respondetur non est bonum mundi, sed potius regni Dei, non regni nature, sed regni gratiæ, non politiæ, vel œconomia, sed Ecclesiæ: hinc in Ecclesia sola remissio peccatorum invenitur, tum quia totum gratiæ regnum in Ecclesia reperitur, per quam gratiam remissio peccatorum contingit: tum quia ecclesiæ datæ sunt claves circa peccatorum remissionem & retentionem versantes Matt. XIX. 18. tum quia remissio peccatorum solius Ecclesiæ privilegium est, ita quidem ut ubi non est Ecclesia, nec remissionis gratia locum habere possit; tum quia extra Ecclesiam non datur verbum, per quod omnis remissio peccatorum dispensatur: tum quia extra Ecclesiam non datur ministerium, per quod dispensatio remissionis peccatorum administratur: tum quia extra Ecclesiam non datur Salus, quæ nobis per remissionem peccatorum donatur. Graviter igitur errant, qui sibi in quovis cœtu salutem, & remissionem peccatorum, tam actualium, quam originis, promittere audent.

7. (3) Quando detur, aut concedatur ab Ecclesia remissio peccatorum? Respondet Aug. Confessio art. 12. quod lapsis etiam post baptismum contingere possit remissio peccatorum QUOVISQUE TEMPORE, cum convertuntur, & quod Ecclesia talibus redeuntibus ad pe-

ad penitentiam absolutionem impertiri debeat. Et damnat ipsa Confessio Novatianos, qui nolebant absolvere lapsos post baptismum, redeuntes ad penitentiam; à quo errore nec moderni Sociniani sunt immunes, ut alibi demonstravimus, & simul ipsorum sententiam erroneam refutavimus. Dicimus ergo, quod Ecclesia omni tempore peccatorum remissionem penitentibus distribuere possit & debeat; prius probatur, quia regnum Christi cum beneficiis suis non est de hoc mundo, adeoque nec mundanas conditiones vel temporis, vel loci requirit: quod igitur semel potest ex auctoritate Christi, semper potest; quod alicubi potest, ubique locorum etiam præstare valet; posterius, quia non est Domina, sed ancilla, non magistra, sed ministra, non auctoris, sed tantum dispensatoris partes, nec avaronomias, sed tantum œconomias jura sibi tribuere debet.

8. (4) Quoties ab Ecclesia remissio peccatorum dari queat? Res. nec scriptum, nec Apostolicum Symbolum hic ullam admittunt determinationem, & ad certa vel peccata, vel subjecta, vel alias circumstantias restrictionem, sed indefinite credimus remissionem peccatorum: toties igitur remissionem peccatorum Ecclesia per Ministerium distribuere tenetur, quoties peccator penitens eam desiderare videtur. Et certe si privatus homo vel septuagies septies fratri, quoad omnis generis offensas, condonationem præstare tenetur, ut Christus Petro respondet Matt. XLIX. 21. multo magis idem Ecclesia præstare tenetur.

9. His breviter circa Existentiam delibatis, nunc ad causas ipsas Remissionis Peccatorum pergimus. Est autem causarum alia Efficiens, alia Materialis, alia formalis, alia finalis. Quod attinet causam Efficientem, illa vel est principalis, vel Ministerialis, vel instrumentalis. Principalis, Deus est, id quod patet (1) ex ipsa definitione: Remissio peccatorum, juxta D. Schilterum in Explicat. Catech. p. 274. est actio Dei, qua peccator in vera contritione, fide confugiens ad thronum gratiæ, id est, Filium Mediatorem, à Deo absolvitur à reatu peccati, ira Dei & mortis aeternæ, & reconciliatus Deo adoptatur in Filium Dei, & heredem vitæ aeternæ, & donatur Spiritu Sancto,

Sancto, imputata illi justitia Christi gratis, non propter opera precedentia, vel sequentia, quod fit ad laudem gloria divina, & propter salutem credentis: jam quia dicitur actio Dei, sequitur, quod omnino Deus sit eius causa principalis (2) ex remissionis peccatorum conditione, quia hæc omne fert punctum in Ecclesia, cum inde Ecclesia suum consequatur fieri, esse & operari, nimirum fieri, siquidem per remissionem peccatorum homo fit Ecclesie membrum, & sic Ecclesia tota constituitur per eos, qui peccatorum remissionem consecuti sunt: itemque suum esse; tamdiu quis Ecclesie militantis genuinum membrum, quamdiu remissionis peccatorum particeps est: nam omnes sumus peccatores, & remissione peccatorum semper egemus: si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: si confiteamur (nimirum omni tempore) peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate I. Job. I. 8. 9. Hinc etiam David Ps. XXXII. 5. scribit: Dixi: Confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: pro hac (remissione peccatorum) orabit te omnis sanctus in tempore opportuno: sic etiam v. 1. & 2. beatitudinis vera partes in remissione peccatorum consistere docet: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta peccata: beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum, nec est in Spiritu ejus dolus. Denique suum operari non aliunde consequitur Ecclesia, quam per remissionem peccatorum, quia tum demum incipit operari bene conversus homo, quando remissionem peccatorum consecutus est: quamdiu peccator est, nec operatur bene, nec operari bene potest, quia Diabolum sequitur: sed quamprimum remissionem peccatorum adipiscitur, & ex Deo nascitur, statim valet illud I. Job. III. 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: jam quia tanta remissionis peccatorum dignitas, ut inde pendeat omne fieri, esse & operari Ecclesie, hinc facile colligitur, quod non aliud, quam Dei, sit opus. (3) ex remissionis peccatorum & justificationis reciprocatione, quia sunt unum & idem: jam igitur, si Deus est autor justificationis, sequitur etiam, quod

quod sit autor remissionis peccatorum. At verum prius Rom. IX. 2.
(4) ex ipsa scripturae testificatione Esai. XLIII. 25. Ego sum, ego sum
ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum
non recordabor: ipsi scribae blasphemantes contra Christum hoc
agnoscebant Marc. II. 7. Quis potest dimittere peccata, nisi solus
Deus.

10. Non autem in genere tantum scriptura causalitatis
mentionem facit, quando remissionem peccatorum ad Deum refert,
sed etiam personas singulas introducit, atque notis etiam chara-
cteristicis quasi distinguit. Hinc Deo Patri tribuitur, causa im-
pulsiva remissionis peccatorum, nimirum Gratia & misericordia: sic
ipse Filius Dei, tanquam praeo penitentiae principalis, hanc miseri-
cordiam & gratiam, peccata condonantem, in Deo Patre commen-
dat Exod. XXXIV. 5. seqq. Nam descendit Dominus (Messias) in nube,
& stetit cum eo Moses ibi: & predicavit (Filius Dei) de nomine Do-
mini, & transivit Dominus coram facie ejus, & predicavit (Filius
Dei): Dominus Dominus est Deus misericors & clemens, longanimis,
& multa bonitatis & veritatis, servans bonitatem in millia, condonans
iniquitatem praevaricationum & peccatum, & innocentem non inno-
centem faciet, visitans iniquitatem Patrum in filiis, & in filiis filiorum
usq; in tertiã & quartã generatione Ps. LI. 1. seqq. CIII. 8. seqq. Deo filio
tribuitur causa meritoria remissionis peccatorum, quia Christus cum
omni satisfactione sua nostrum est meritum, qui solvit pro nobis
omnibus λύτρον I. Tim. II. 6. nostra peccata propter semetipsum
delevit Esa. XLIII. 25. nos ab omni peccato suo sanguine mundat
I. Job. I. 7. ita ut in ipso habeamus redemptionem per sanguinem
ipsum remissionem peccatorum Eph. I. 7. Notandum igitur est,
quod Christus non tantum secundum Divinam, sed etiam secun-
dum Humanam naturam sit causa principalis remissionis peccatorum,
quod contra Reformatos observandum, qui communiter sic au-
toritatem remittendi peccata referunt ad divinam, ut excludant
humanam naturam: imò Calvinus eo progreditur, ut vix meritum
aequivalens pro remissione peccatorum concedat, in eo Sociniani
arma quaedam suppeditans ad negationem omnis meriti, vel satisfi-

*factio*nis pro remissione peccatorum, qua ratione totus *Christianis-*
mus evertitur: At hos errores partim in *Mateol. Calvin.* partim
in *Mateolog. Socinianorum* refutavimus. Nos dicimus, quod o-
mnino *Christus* secundum utramq; naturam sit causa principalis re-
missionis peccatorum, secundum divinam *καθ' αὐτό*, secundum hu-
manam *καθ' ἄλλο*, secundum illam essentialiter, secundum hanc
personaliter, secundum illam ex propria, secundum hanc ex com-
municata virtute. Et hoc contra *Scribas* ac alios hostes blasphem-
os *Christus* ipse potenti miraculo confirmavit. Nam cum pa-
ralytico *Matt. IX. 2.* peccata condonasset, verbis consolatione ple-
nissimis: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* quidam autem
de scribis intra se dixissent: *Hic blasphemat,* quia sicut *Marcus*
II. 1. addit: *solus Deus peccata remittere potest:* statim vidit blas-
phemas ipsorum cogitationes *Dominus*, & respondit: *ut quid cogi-*
tatis mala in cordibus vestris: quid est enim facilius dicere, dimittun-
tur tibi peccata tua; an dicere, surge & ambula: ut autem sciatis,
quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,
tunc ait paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam:
& dictum factum: adeoque satis ita demonstravit, se quoque, ceu
Filius hominis, auctoritatem remittendi peccata possidere. Deo *Spi-*
ritui Sancto tribuitur energia, quia hoc loco, tanquam autor re-
missionis peccatorum, in *Symbolo* producitur, quod etiam indicat
Christus, quando *Joh. XX. 23.* *Spiritum Sanctum* discipulis suis
largitur, ut remissionem peccatorum annuncient, ipsaque pecca-
ta penitentibus solvant, impenitentibus ligent.

II. *Causa Ministerialis* sunt *Ecclesie Ministri*, quod probatur
tum in genere (1) quia dicitur *Ministerium* *διακονία ἢ πνεύματι* &
Ministerium Spiritus *II. Cor. III. 8.* adeoque *Spiritui Sancto* non tan-
tum in œconomia mysteriorum aliorum, sed etiam ipsius remissi-
onis peccatorum, subordinatur. (2) quia propterea *Spiritum San-*
ctum *Ministris* suis *Deus* confert, ut nimirum remissionem pec-
catorum promoveat: Nam cum *Christus* *Joh. XX. 21.* *Pacem* *A-*
postolis spirituales obtulisset, dicendo, *Pax vobis:* & denuo mi-
nisterium instituisset, subjiciendo: *Sicut misit me Pater, ita &*
ego

ego mitto vos: statim summum remissionis peccatorum collato-
rem, Spiritum Sanctum, afflatu peculiari donavit illis: nam *insuffla-*
vit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: ne quis autem præci-
puam donationis Spiritus Sancti causam ignoraret, eam digitis
quasi monstravit, dum hæc immediate & solitariè connectere
voluit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, re-*
mittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Sic etiam,
cum in die pentecostali donum Spiritus Sancti visibiliter Apосто-
lis allatum esset, una concione pænitentiali circiter tria millia
animarum Petro convertit, & remissionē peccatorū ipsis distribu-
it: cū enim ipsum compūcti corde pænitentes interrogarent: *Quid*
faciemus? Petrus respondet nomine totius Apostolici Collegiū
Act. 11. 38. Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in
nomine Jesu Christi IN REMISSIONEM PECCATORUM, & accipie-
ris donum Spiritus Sancti. Quemadmodum igitur Spiritui San-
cto *Magisterium* remissionis peccatorum competebat, sic etiam A-
postolis *Ministerium* dispensationis conveniebat. (3) *quia est mini-*
sterium reconciliationis, sicut testatur Paulus II. Cor. V. 18. Omnia
autem ex Deo, qui nos RECONCILIAVIT sibi per Jesum Christum,
& dedit nobis MINISTERIUM RECONCILIATIONIS v. 19. quoni-
am quidem Deus erat in Christo, mundum RECONCILIANS sibi, non
reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis VERBUM RECON-
CILIATIONIS.

12. Tum in specie de Ministerio Veteris Testamenti, quod fuit
prophetarum, siquidem omnes propheta testimonium perhibent, re-
missionem peccatorum accipere per nomen Christi omnes, qui credunt
in eum *Act. X. 43.* & scripta, ac exempla Prophetarum omnium id
satis attestantur, quia inde à paradisiacis temporibus, cum pri-
mum æternus cælestis Patris λόγος & pænitiæ præconium pro-
mulgasset, nihil magis, quam pænitiæ studium IN REMISSI-
ONEM PECCATORUM urserunt: & de Ministerio Novi Testa-
menti, quod patet non tantum ex præxi *Jobannis Baptista,* qui pæni-
tentiæ præco fuit, pænitiæ studium sedulus inculcavit, subinde
repetens illud: *Pænitentiam agite, nam appropinquavit regnum*
B
calo-

calorum Matt. III. 2. & baptismum penitentiae administravit in RE-
MISSIONEM PECCATORUM *Luc. III. 3. Act. XIX. 3. imò talis*
esse debuit ex revelatione Angeli Luc. I. 15. qui de Johanne ad Zacha-
riam inter alia hæc allegat: Erit magnus coram Domino, vinum &
ficeram non bibet, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris
sue: & multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum:
& ipse precedet ante illum in spiritu & virtute Helie, ut convertat
corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, para-
re Domino plebem perfectam: & ex celebratione, vel prædicatione Za-
charia v. 76. Tu puer propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante
faciem Domini, parare vias ejus: ad dandam scientiam salutis plebis e-
jus **IN REMISSIONE PECCATORUM** *per viscera misericordie Dei*
nostri, in quibus nos visitavit oriens ex alto. Christus ipse, tanquam
minister Circumcisionis, in diebus carnis remissionem peccatorum
annunciavit, & peccatoribus, etiam gravissimis, veram fidem in
penitentia recipientibus, donum remissionis peccatorum dis-
pensavit, ut passim in historiis Evangelistarum videre licet: cum-
primis autem observandum est, quod propterea tum Apostolos,
tum ipsorum successores, Spiritu Sancto vel armavit, vel ornavit,
nim. ut verè penitentibus donum remissionis peccatorum distri-
buiere possent, sicut thesi præced. notavimus: & cum eos ablegaret
in mundum universum, jussit eos, prædicare in nomine suo **POENI-**
TENTIAM ET REMISSIONEM PECCATORUM *in omnes gentes*
incipientes ab Hierosolyma: id quod etiam actu fecerunt, sicut
Paulus Antiochiæ testatus est Act. XIII. 38. Notum sit vobis, quia
per hunc Jesum vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus,
quibus non potuistis in lege Mosis justificari.

13. *Causa instrumentalis remissionis peccatorum alia dicitur*
ex parte Dei, alia ex parte nostri. Ex parte Dei Causa instrumenta-
lis remissionis peccatorum est (1) Verbum Dei, quod ὀλικῶς est par-
tim verbum legis, partim verbum Evangelii: illud ratione subiecti, vi-
delicet hominis peccatoris, ut in agnitionem peccatorum dedu-
catur, vera contritione, vero dolore de peccatis imbuatur, hoc ra-
tionem obiecti, ut nim. ipsa remissio peccatorum conferatur, dicitur
esse

esse necessarium: *illud* pertinet ad præparationem, *boc* ad ipsam dispensationem, vel exhibitionem; *illud* est mediatum, *boc* immediatum; *illud* ostendit remissionis hujus indigentiam, *boc* ejus continet essentiam; *illud* materialiter horrenda peccata manifestat, accusat, reatum exaggerat, & hominem condemnat, sed *boc* formaliter peccata condonat, hominem propter Christum justificat, reatum extirpat, & ipsum hominem in Christo salvat.

14. Interim ἀνεβῶς loquendo non tam *lex*, quam *Evangelium*, dicitur *Remissionis peccatorum organum*, quia *lex* & *Evangelium*, juxta *Paulum*, differunt, ut *Ministerium mortis & vitæ* II. Cor. III. 7. & præterea non *lex*, sed *Evangelium*, quando videlicet inter se distinguuntur, est *verbum gratiæ*, quia gratiã remissionis peccatorum offert & confert *Luc. IV. 22. verbum salutis Act. XIII. 26.* quia peccata remittit ad salutis consecutionem, *verbum regni Matth. XIII. 19.* quia per remissionem hanc peccatores regni Dei cives facit, & è regno Diaboli in regnum Dei traducit: *verbum vitæ Phil. II. 26.* quia per remissionem peccatorum mortem spiritualem, quæ dicitur ipsum peccatum, tollit & vitam spiritualem nobis concedit; *verbum vitæ æternæ Job. VI. 68.* quia nos per remissionem peccatorum æternæ vitæ candidatos efficit &c.

15. (2) *Sacramenta Dei*, quæ pariter ex parte Dei sunt *remissionis peccatorum media*, vel *organa*, quod non tantum ex variis argumentis demonstrari posset, cum omnes fere causæ sacramentorum eo respiciant, sed etiam ex apertis dictis est manifestum. Nam de *Baptismo* dicitur apertis verbis *Luc. III. 3.* quod sit *Baptismus penitentiæ IN REMISSIONEM PECCATORUM* Conf. *Act. II. 38.* hinc etiam *Baptismo* tribuitur talis sanctificatio, Spiritu Sancto propria in Christo Jesu *Eph. V. 26.* *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo.* Sic etiam de *Cena Domini* diserte legitur *Matt. XXVI. 23.* *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

16. Ex parte nostri saltem unicum datur *remissionis peccatorum Organum*, nimirum *Vera Fides*, utpote quæ sola beneficium

B 2

remis-

remissionis peccatorum apprehendit, quod apparet [1] ex dictis Christi Matth. IX. 2. *Confide fili*, dicit Christus paralytico, *remittuntur tibi peccata tua*: sic etiam inquit: *Mulier peccatrici* Luc. VI. 6. *Fides tua te salvam fecit, vade in pace*: quibus verbis omnia ipsi peccata remisit, ut ipse contextus testatur. (2) ex dictis Mosis & prophetarum, quia Moses de Abrahamo dicit: *Credidit Abraham Deo, & hoc imputatum ipsi est ad justitiam*, vel remissionem peccatorum Gen. XV. 9. quod oraculum pluribus de remissione peccatorum ex Psal. XXXII. seqq. Paulus illustrat Rom. IV. 3. seqq. Esa. LIII. 12. *In scientia sui* (h. e. in vera fide, quæ dicitur h. l. *συνεδοχινός* scientia) *justificabit servus meus justus multos*. Habac. II. 4. *justus fide sua vivet*, qui nim. vere justus est per remissionem peccatorum. (3) ex dictis Apostolicis, Rom. V. 1. *justificati ex fide PACEM habemus* (nim. per remissionem peccatorum) *ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Heb. IV. 16. *Ad eam cum FIDUCIA ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. (4) ex exemplis. Illustre dicitur Exemplum publicani Luc. XIX. 13. qui plena fide dicebat: *DEUS, propitius esto mihi peccatori*. Huc etiam pertinent exempla Paralytici, & Mulieris peccatricis, antea producta.

17. *Causa Materialis* nomine peccatorum exprimitur, ubi non tantum peccata, quæ commissa sunt ante, sed etiam post baptismum intelliguntur, quod contra Novatianos observandum, ut patet ex art. 12. *Confess. Aug.* quemadmodum superius annotavimus: neque tantum *actualia*, sed etiam *originale peccatum*, quod notandum contra Pelagianos, qui peccatum originale negabant, nec, quoad ipsum, opus esse remissione quadam statuebant: neque *solum levia*, vel *actualia nude*, sed etiam *habitualia peccata*, quod Sociniani negant, quasi reliqua tantum peccata remittantur, sed *habitualia peccata* nullam remissionem consequantur, neque penitentiam admittant, sed absolute damnent. Dicimus igitur, quod *omne genus peccatorum* sub gratiosissimam remissionis veniam *cadat*,

dat, quod multis demonstrari posset tum ex generalissimis Dei promissis, tum ex universalissimis Christi meritis, tum ex universalissimis remissionis mediis, nimirum Verbo Dei & Sacramentis, quæ non ad certum, sed ad omne genus peccatorum, tanquam efficacissima salutis media, respiciunt, tum ex omnigenis peccatorum remissionum exemplis, quæ passim scriptura tum Veteris, tum Novi Testamenti suggerit, tum ex aliis documentis, quæ tamen studio brevitatis hic non adducimus.

18. *Causa formalis* per ἀφεσιμ, vel remissionem, indicatur, & in ipsa remissione consistere colligitur. Ubi rursus observandum, quod hæc remissio non consistat (1) in physica quadam mutatione, quod Pontificii volunt, quasi justificatio peccatoris sit physica quedam alteratio, quæ ex hominibus non justis justos efficiat, atq; sic physicè Deus peccata remittat. Verum remissio peccatorum non est physica quedam alteratio, sed mystica salutis operatio. (2) nec in totali peccatorum extirpatione, vel abolitione, quasi per remissionem peccatorum peccata prorsus annihilentur & extirpentur, ut nulla ratione post remissionem adsint & remaneant, sed juxta vulgatum illud: *In remissione peccatorum tolluntur peccata non ut non sint, sed ut reatu suo non imputentur.* (3) nec in absoluta condonatione, quam Sociniani prætendunt, quasi Deus absolute citra respectum ullius satisfactionis peccatoribus delicta remittat, sicut pænitentiam & remissionem peccatorum, absque ulla mentione Christi Salvatoris, definiunt, cum in breviss. Instit. c. 8. p. 17. scribunt: *Quid per pænitentiam intelligis? Res. Animi ac vite mutationem in melius.* Et rursus. *Quid est remissio peccatorum? Est gratuita liberatio à peccatorum reatu ac pæna, maxime ab æterna.* Sic Crell. Comment. in Epist. ad Rom. p. 209. remissionem peccatorum describit: *Remissio peccatorum nihil est aliud, quam liberatio à reatu ac pæna peccatorum, ex benignitate profecta.* Et Schlichting. in Epist. ad Hebr. p. 247. *Pænitentiam agere est animum in melius mutare, damnatog; priori consilio religionem, quam impie projecimus, denuo suscipere, ac porro secundum ejus normam vitam componere.* Sic neq; Christi, neq; fidei in Christum, mentionem ullam faci-

faciunt, quando *remissionem peccatorum*, vel *penitentiam* describere, h.e. naturam ejus exponere contendunt. Sed absq; Christo, vel absq; *fide in Christum*, nullam dari *peccatorum remissionem*, vel *penitentiam*, scriptura passim attestatur. (4) nec in *immediata collatione*, quasi Deus immediatè per Spiritum S. non autem per externum verbum, vel per sacramenta, vel per sanctum Ministerium, peccata mediate remittat, qui Calvinianorum, & aliorum fanaticorum est error, siquidem illi *sanctificationem, justificationem, vel remissionem peccatorum immediatam*, non tantum privatis, sed etiam publicis scriptis asserunt: sed vera *remissio peccatorum* nobis per sanctum Ministerium Verbi & Sacramentorum contingit, quod non tantum *Christi & Apostolorum exempla*, sed etiam *dicta* confirmant. (5) nec in *particulari remissionis ad Electos determinatione*, quasi per absolutum decretum saltem Electis remissionis beneficium sit destinatum: nullam enim talem restrictionem hic *Apostolicum Symbolum* addit, quod simpliciter *remissionem peccatorum omnibus communem* profiteretur: sed (6) consistit illa remissio peccatorum in *gratuita peccatorum omnium propter Christum, ejusq; meritum per verbum & Sacramenta, omnibus hominibus oblata, fidelibus, h.e. vera fide credentibus in Christum, salutariter applicata condonatione, vel non imputatione, saluberrima verò justitiæ Christi donatione ad salutem. Causa formalis*, scribit D. Schilterus d. I. est ipsa ἡ φεσις τῶν ἀμαρτιῶν, ἡ λογισμὸς τῆς δικαιοσύνης, i.e. *Remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi, per misericordiam Dei, quæ sit fide, & est relatio, non qualitas inherens formaliter, aut habitualiter, ut in Scholis loquimur, sicut Paulus docet ex Ps. XXXII. Beati, quorum remisse sunt iniquitates. Cum imputatione justitiæ enim coherent nexu indissolubili multa alia Christi beneficia, quæ Gerson in gratias privativas distinxit, quales sunt, liberatio à peccato, ab ira Dei, maledictione legis, potestate Diaboli & inferorum, seu non imputatio peccatorum & reatus, penarum; & positivæ, quales sunt, reconciliatio cum Deo, adoptio in Filios Dei, donatio Spiritus Sancti, & acceptatio ad vitam æternam. Quarum hæc medentur privationi justitiæ, illæ reatui, seu obligationi ad penas mortis & damnationis æternæ.* Quan-

ne. Quando igitur Abrahamo, filiisq; ejus, fides ad justitiam imputari dicitur, tum id non nisi correlative (ut Lutherus & Philippus doctissime locuti fuere) accipiendum est, respectu nimirum meriti & obedientie Christi, quæ sola fide apprehenditur. Hæc ille. Ex quibus apparet, quod omnino remissio peccatorum & imputatio justitiæ Christi, non geminam, sed unam formalem rationem constituent, quia *ἵνα* sunt, & remissio peccatorum necessario justitiæ Christi imputationem ponit, sine qua nulla fit remissio peccatorum, & justitiæ Christi imputatio necessario remissionem peccatorum ponit, sine qua nulla talis imputatio fieri potest,

19. *Causa finalis* remissionis peccatorum juxta *Symbolum Apostolicum* est partim gloriosa ad vitam æternam Resurrectio, quia quotquot spiritualiter in Christo resurgunt à peccatis, peccatorum remissionem consequuntur; & quotquot in eadem ad finem usq; vitæ perseverant, illi gloriosæ resurrectionis participes futuri sunt: Surge, dicit Paulus *Eph. V. 14. qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus*: partim gloriosa æterna vitæ possessio, quia qui peccato spiritualiter moriuntur, gratiosam peccatorum remissionem in hac vita consequuntur, & in hac remissione peccatorum ex vita præsentis proficiunt, illi vere benedicti sunt Patris, quibus hæreditas æternæ vitæ distribuitur *Matt. XXV. 34.*

20. Alias ex Sacris literis constat, quod remissioni peccatorum tribuatur alius finis respectu Dei, nim. ipsius Dei gloria, Tibi soli peccavi, dicit David *Psal. LI. 6. & malum coram te feci, ut justifieris in sermonibus tuis, ut mundus habearis, cum judicaris*. Confer. *Rom. III. 25. Ephes. II. 4. seqq.* alius respectu nostri, nim. salus hominum *I. Pet. I. 9.*

21. Ultimo breviter adducimus aliquot *Reformatorum* errores quos Perkinsus in *Explic. Symb.* circa præsentem articulum inferere voluit, nim. errat (1) circa causam Efficientem principalem, quando quærit, *Quis sit remissor peccatorum?* & respondet: *Deus, cujus benedictio est. In solum enim Deum committitur peccatum &c.* & postea, *Solius Dei est, remittere peccata*: qua ratione tum humanam Christi naturam à consortio causæ principalis, & Ministerium

rium, à commercio causæ Ministerialis excludit, cum tamen superius jam demonstratum sit, Christum etiam secundum Humanam Naturam peccata remittere ex *Matth. IX.* & ministris reconciliationis Ministerium est commissum *II. Cor V. 20.* (2) circa causam Efficientem Ministerialem, quando quærit: *Annon dedit Deus ministris suis potestatem remittendi peccata, cum ait: Quibuscunq; remiseritis peccata, remissa sunt?* Resp. Ministri Dei non remittunt PROPRIË peccata, sed in nomine tantum Domini est verbo ipsius unicuique peccatori resipiscenti, peccata ipsi remissa esse annunciant &c; verum si Ministri Dei sunt, vere divinum etiam ministerium in remissione peccatorum suscipiunt, & hoc pacto proprie quoque peccata remittunt, cum verum ministerium etiam sit proprium ministerium, & ministerialis respectus non tollat proprietatem actus: nam ministerialis causa vera, causa, proprie sic dicta causa. (3) circa causam formalem, quando fingit remissionem peccatorum perpetuam & immutabilem, quam, qui semel consecuti fuerint, prorsus amittere non possint. Ex quo consequitur, inquit, perpetuo manere remissionem peccatorum, postquam semel est facta: siquidem immutabilis est amor Dei erga electos, nec mutari potest decretum ipsius, quod ad ipsorum quidem attinet salutem. (4) circa causam materialem, quando quæritur: *Cui contingat remissio peccatorum?* Res. *Catholica, sive universali Ecclesie, h. e. toti hominum illorum catui, qui ad eternam predestinati sunt vitam &c.* sic igitur remissio peccatorum tantum Electorum, non autem vocatorum esset bonum. (5) circa causam meritoriam, quam saltem medium esse fingit, quærendo: *Quod medium sit, per quod acquiratur nobis apud Deum remissio peccatorum?* Resp. *Mors & passio Christi.* Mortuus enim est Christus propter delicta nostra, hoc est, mortuus est Christus ut satisfactio esset ac precium justitiæ Dei pro peccatis nostris. Verum accurate loquendo aliud est Meritum, aliud Medium, cum primis sensu Calviniano. Nam proprie sic dictum Meritum autem & medium Calvinianorum toto genere distant. Hæc & alia Reformatorum auctoritate doctrinæ Symbolicæ contraveniunt, ut ex superioribus constare potest.

Justificat Dominus, dum crimina cuncta remittit;
Per Christi meritum justificante fide.
Pectoribus gratis colit hoc Ecclesia sancta,
Commendatq; piam manus adusq; suis.
Hæc tua cura, laborq; tuus, si pergis Amice,
Oeconomus Christi Tute fidelis eris.

JOHANNES Deutschmann/ D.

Quid numeras operum, Tu pulveris Urna bonorum
Perlongam seriem? Quid benefacta Tua?
Non ea sola Tibi cœlum, sedesq; beatas
Promeruisse queunt: Sola sed illa fides
Et meritum Christi tribuit, qui funere acerbò
Imposuit tergo crimina nostra suo.
Talia dum Tecum repetis, Tibi gratior Amice
Et voveo studijs prospera quæq; Tuis!

JOHANNES FRIDELIUS, D.

Gratia sola Dei puros nos crimine præstat,
Dat veniam culpis Gratia sola Dei.
Hoc dum Schallacki, monstras, Tibi gratulor, atq; ut
His studiis surgant commoda mille, precor!

JOHANNES GOBIUS,

Leuoris insigni radians splendore bonarum
Palæstra mentium est, triumphator reses
Murcia quâ, sitis exstimulat generosa Minervæ
Ad occupandos, editi Pindi sinus
Pectora, fulgentesq; gravi sudore paranda
Laurus, sereno jubare cingentes comas.
TE sacram humanæ Sophiam junxisse fideli
Amice vinclo, testis est præsens labor;
Ardua Theiologum quo dogmata ritè tueris,
Nodos sagaci mente, quos verò cohors
Adversa opponit, solvens. Tibi plaudit ab alto
Apollo colle, præmium Patria dabit.

M. GEORG. FRID. MAGNUS, Posonio-Hung.

Unica

U *Nica nostra salus Salvator morte triumphans,*
Is per eum veniam qui benè credit habet.

Hunc *Tua* prima fuit SCHALLACKI noscere cura

Hæc *Tua* materies numinis instar erit.

Sit felix! *Patris alma premas vestigia magni,*

Calcar & Affinis subdat honoris apex!

CHRISTOPH. PARSCHITIUS, Rosob Hung.

V *ivida vis mentis nunquam lassata quiescit,*

Quod tenet semper, quod meditetur, habet.

Nec *Tua* torpescit virtus, en Fautor Amande,

Dum promissis specimen non sine laude bonum.

Quo Te ipsis Patriæ, Fautoribus atq; Patronis

Commendas. Etenim sic studuisse juvat!

Adspiret factis summus precor ipse JEHOVA!

Ut prosis Patriæ, tum Tibi, tumq; tuis!

SAMUEL Brewer/Lutsch. Hung. Jur. Stud.

Q *uid sudasse juvat, quid pervolvisse libellos?*

Ni *Tua* doctrinæ stemmata mille sciant.

Mille sciunt, cernunt, dum pulpita publica scandis

SCHALLACKI Claro *Præside* verba cies.

I, quo cœpisti felix, I, tramite præsto est

Famæ bonum referet nomen in orbe Tuum.

PAULUS Pfaff/Teutoprona Hung.

S *ola fides justos homines facit, hinc opus omne*

Vanum est, dat Christum non nisi sola fides.

Talia quando doces, SCALLACK, felibus ausis

Gratulor, & studiis præmia magna precor!

THOMAS Steller / Hung.

A *udaces Doctrina juvat virtute triumphant*

Nil præstat timidâ doctus in arte manu.

Urit amor, doctrina juvat, Tibi præbet Amice

Virtus audaces per pia cæpta manus

Cœpta Deus Fautor, medium, colophona secundet

Hoc vinces semper, præside nempe Deo.


SAMUEL LADIVER, Solnâ Hung.

Lang VI. 5 1

ULB Halle

3

003 730 670



f


TA → d

neu 14 27 Stück verbleibend

Rino
V377







6

S. J.
 THEOLOGICA
 SIONE
 M VEL GRA-
 CORAM DEO
 TIONE,
 Divinis
 Albim Leucorea
 PRÆSIDIO
 I
simi atq; Excellentis simi,
 S. Deutschmann/
 acultatis Prof. Publ. Fami-
 Collegii Theologici h.t.
 Alumn, Electoralium Ephori
 mi,
 Præceptoris sui perpetuis
 us devenerandi.
 Examine subicit
 DENS
 HALLACKIUS,
 ngarus.
 clis lxx LXVIII.
 DI, Acad. Typogr, Anno 1668.